
Incipit liber primus ecclesiastice historie eusebii cesariensis de greco in latinum a rufino sapiente quodam translatus.

Peritos aiunt esse medicorum ubi imminere urbibus vel regionibus viderint generales morbos providere aliquod medicamenti vel poculi genus quo premuniti homines ab imminenti defendantur periculo. Quod tu venerande pater Chromati medicine exequens genus tempore quo diruptis Italie claustris a Thalarico duce gothorum se pestis et morbus infudit et agros armenta viros longe lateque vastavit populis tibi a deo commissis feralis exitii aliquod remedium querens per quod egre mentes ab imminentis mali contagione subtracte melioribus occupate studiis tenerentur. Iniungis mihi ut ecclesiasticam hystoriam quam vir eruditissimus Eusebius cesariensis greco sermone conscripserat in latinum verterem. Cuius lectione animus audientium vinctus dum noticiam rerum gestarum avidius petit oblivionem quodammodo malorum que gerebantur acciperet. A quo ego opere cum excusare me vellem utpote inferior et impar et qui tam in multis annis usum latini sermonis amiserim considerans quod non absque aliquo apostolice institutionis ordine nobis ista preceperis. Nam et cum dominus aliquando esurientibus in deserto auditorum turbis dixisset ad apostolos: date eis vos manducare, Philippus unus ex apostolis intelligens eo magis splendescere divine virtutis insignia si minimorum quoque ministeriis explerentur non protulit panes eis apostolice absconditos per se sed puerulum adesse dicit habentem quinque panes et duos pisces. Que vererentur de excusans adiecit: Sed hec quid sunt inter tantos? Quo magis in angustiis opibus et desperatis clara fieret domini potentia. Sciens quod et ille te descende discipulus recordatus

A. D. 1191. — Eusebius-Rufinus. Gotische Minuskel.
Trier, Dombibliothek, Codex 133, fol. 2v.